

## 1361-1361- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Rothomagum Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capitulo generalis apud Rothomagum celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · LXI° .

### **Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: prior illius loci, ubi capitulo fuerit celebrandum cum diffinitoribus capitulo provincialis ad celebracionem eiusdem admittatur, addatur sic: Quilibet autem vicarius generalis provincie, per quemcumque modum fuerit institutus, in absencia provincialis locum provincialis teneat, fidelium dicat, licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis illius provincie, durante capitulo provinciali duntaxat; et statim sequatur, prout ibi ponitur: predicti autem.

### **Iste sunt ordinaciones.**

Cum cunctis pateat evidenter a recta vivendi via quomodolibet declinari, et dampnabiliter obliquari, certa quoque nos docuerit [experiencia] fratres nostros a nostris constitucionibus et regula, licet sanctissimis, notabiliter declinasse, mandamus et imponimus districtius iniungendo prioribus provincialibus universis ac eorum vicariis quibuscumque, necnon et singulis presidentibus conventuum singulorum sub pena absolucionis ab officio ac privacionis omnium ordinis graciarum, quatenus ad observaciones regulares secundum formam [et] tenorem nostrarum constitutionum et regule realiter et de facto reducere satagan semetipsos et fratres omnes et singulos sibi subditos quovis modo per penitencias, in nostris constitutionibus positas, nullatenus omittendas efficaciter ad hoc ipsum compellant, alias eciam superaddendo penas graves, prout ipsi reformacioni viderint expedire. Specialiter autem studeant reducere semetipsos et fratres alias ad secundum nocte dieque chorūm et ibidem divinum officium celebrandum, secundum modum fratribus per reverendum patrem magistrum ordinis in dicto capitulo cunctis datum, ad tenendum silencium, inclinandū, cibum sumendum, a carnis abstinentia, collaciones faciendas, minunciones et rasuram, ieunia ordinis observanda, provisionem infirmorum, receptionem noviciorum, et eorum instructionem, lectos, vestitum et ingressum quarumcumque mulierum ad quascumque conventuum officinas, studencium dispositionem et bonorum appropriatorum exhibicionem et ipsorum depositacionem in communi conventus deposito, et rationis reddicionem de expensis factis a fratribus saltem semel in mense, sub pena perdicionis irrecuperabilis appropriatorum predictorum; confessorum et visitatorum ordinacionem, receptionem itinerantium et eciam fratrum hospitum cum litteris se movencium dimissoriis ac eciam eorum correpcionem, et generaliter ad omnia et singula facienda, que fratribus in nostris constitutionibus imponuntur fienda. Et ut omnia supradicta melius observentur, mandamus et imponimus omnibus presidentibus, prout ad unumquemque pertinet, quod constitutiones ordinis et acta capitulorum generalium et provincialium habeant studiose correcta singulis mensibus legenda, sin autem in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Cum preciosissima scientie margarita fratribus predicatoribus summe necessaria debeat a fratribus appeti toto mentis affectu, sic ut in tantum, quod per diligentissimam inquisitionem studii tandem reperta possit a fratribus ipsis venditis omnibus recuperari seu comparari, mandamus et imponimus omnibus ordinis presidentibus et sub penis supra positis, quod pro reformacione studii infrangibiliter, que sequuntur, observent.

Primo quod pro noviciis ordinetur aliquis magister frater vel secularis, qui predictos in officio divino dicendo pariter et cantando, necnon eciam in grammaticalibus et aliis primitivis diligenter instruat et informet; nec fiat quicumque studens arcum, logice aut cuiuscumque facultatis, donec in predictis diligenter informatus fuerit et instructus; similiter ab artibus ad phylosophiam et a phylosophia ad theologiam ....

Secundo quod non fiant lectores arcum et phylosophie iuvenes qualescumque, nisi qui primo discussionis examine diligentes et suffientes inventi fuerint ad ipsum [officium]; qui quidem legentes suas continent lectiones ab omnibus suis studentibus audiendas et interdum [per] priores cum lectoribus repetendas ac semel, ipsis presentibus, reddendas singulis septimanis secundum modum in singulis capitulis provincialibus ordinandum.

Tercio quod dicti legentes et alii lectores conventuum insistant diligentissime circa textus quanto maiorem circa ipsos processum poterunt faciendo, et ipsos prout [ab] approbatis doctoribus, specialiter ordinis nostri, precipe sancti Thome repererint expositos, seriosius ac studiosius exponentes.

Quarto quod ad studium, lectionem, predicationem et audienciam confessionum fratres nullatenus deputentur, nisi proponentibus et deputantibus bono modo, quantum fieri potest, constet de fratrum ipsorum sufficiencia ad predicta. Quod ut melius observent fratres, quorum interest, alias ad predicta vel ipsorum aliquem deputare, semper et ubique preceptum ponimus sub hac forma.

Quinto quod quilibet magistrorum in theologia Parisius incipiendum suas continent lectiones, donec habeat successorem magistrum, alioquin expensas omnes magistri defectum eius legendo supplentis integre solvere teneatur, et ad hoc ipsum per reverendum patrem magistrum ordinis efficaciter compellatur.

Item. Imponimus prioribus provincialibus ac vicariis generalibus eorumdem, quod in constitutionibus singulorum conventuum formam decreti super electionibus formandis, quam sibi mittimus, faciant annotari, ne contingat fratres in suis electionibus in formacione debita decretorum errare.

Item. Mandamus et imponimus fratribus universis, quod de possessionibus, redditibus, usufructu vel aliis talibus quibuscumque specialiter [et] potissime fratribus attributis infra mensem a receptione presencium de facto

semetipsos expediant [sine] omni fraudulencia sive dolo seu modo, alias omnia et singula supradicta conventibus ipsis tenore presencium applicamus cum appropriatis dictorum fratrum in hoc deficencium quomodocumque; nec volumus, quod in hoc nisi forte tempore brevi valeant dispensari, talia comparari vel emi deinceps prohibentes simpliciter et sub eadem pena.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium universis, quod predicatores generales non faciant aut instituant, nisi saltem in studio theologie studuerint tribus annis, et cum hoc sint discreti, maturi et discipline regularis amatores ac ordinis pre ceteris zelatores, et quod in provinciis singulis numerum conventuum non excedant. Quibus quidem predictoribus generalibus et aliis quibuscumque fratribus prohibemus, ne cuiuscunque fratri correctionem quovis modo impediant presidentibus, alioquin penis debitum fratribus puniendis indispensabiliter puniantur. Quod si ad huiusmodi fuerint assueti, penis gravibus ab attemptacione talium arceantur, prohibentes quascumque novitates a quibuscumque fratribus attemptari sub pena merito debita pro talibus attemptatis.

**Iste sunt declaraciones.**

Declaramus, quod quandocumque frater aliquis graciis ordinis universis privatur, quod eciam appropriatis sibi bonis per consequens est privatus, et illa bona ad conventum ipsorum redeant tanquam sua; privacionem autem talem per quemcumque prelatum ordinis inferiorem provinciali fieri prohibemus. Et ut predicta diligencius et exactius a presidentibus omnibus et fratribus universis observentur, precipimus prioribus provincialibus universis ac vicariis generalibus eorumdem, quatenus in qualibet nacione, contrata [et] visitacione unum aut duos fratres ordinis zelatores eligant, quibus quidem fratribus sub pena privacionis omnium graciarum ordinis mandatur, quatenus magistro ordinis studeant quamcicius intimare, si sciverint aut deprehenderint supradicta, prout premittitur observata non esse. Similiter a provincialibus aut eorum vicariis et visitatoribus quibuscumque duos vel tres fratres zelatores ordinis in singulis conventibus deputentur, qui sub precepto defectum presidencium in predictis provincialibus suis habeant enunciare; primi quidem ad expensas provinciarum suarum, secundi vero ad expensas conventuum, ubi sunt.

Actis additae sunt litterae domini Francisci, cardinalis tit. S. Marci; cf app. N. XCVIII.